Remboldi, Remboldus [Sonst.]: Speculum humanae salvationis [mit deutscher Übersetzung]: Spiegel menschlicher behaltnis

[Raum Elsass], [1436]



Per contumeliam colaphorum alaparum et sputorum
Ut dimittas michi contumeliam omnium criminum meorum
Que ego miserrimus peccavi in conspectu oculorum tuorum
Quod nobis omnibus prestare dignetur dominus noster Ihesus Christus
Qui cum patre et spiritu sancto est in perpetuum benedictus. Amen etc.

Hora prima ductus est Ihesus ad pylatum.



Gracias ago tibi domine benedicte mi Ihesu Christe
Quia tu es deus meus et salvator meus vere
Quia hora diei prima dilectionem tuam michi ostendisti
Quando propter me ab herode et exercitu suo alludi voluisti
Cum enim per totam noctem in domo cayphe esses illusus
Mane facto ad presidem pylatum es perductus
Qui audiens te esse hominem galyleum
Misit te herodi quia iudicium talium pertinebat ad eum
Herodes gavisus est speravit a te videre aliquod signum
Quia putabat te esse nigromanticum et maleficum
Plebs iudayca astans coram herode te accusabat
Et rex herodes multis sermonibus te interrogabat
Tu vero unicum verbum ei respondere noluisti
Quia tu eius maliciosam intencionem corde cognovisti
At ille induit te veste alba pro derisu et contumelia
Et tamen non sane mentis hominis allusit tibi cum sua familia

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0246
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch
Baden-Württemberg